

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0394

0392

0398

0388

0403

0383

0443

0343

0493

0293

0893

381

Georgiani, haeretici sicut Graeci, quorum tanta multitudo in orientalibus provinciis, quod omnes eos timent, et sine solutione theloniorum et pedagiorum per regiones procedunt sine timore et neminem curant, et eorum propria provincia et terra est juxta montes Caspios, longe a terra sancta, et sunt homines pulchri, curiales, civiles et frigidi, non incontinentes irae. Hi ergo, quia Christiani sunt et gentium mores et linguas norunt et libere per regiones incedunt, conducuntur ad ducendum peregrinos de Jerusalem usque in Aegyptum in asinis. Sic ergo asini et asinarii secundum qualitates suarum conditionum sunt ad transitum deserti summe apti et convenientes, ut ipsa peregrinatio docebit in processu.

De camelorum natura et proprietate.

Cameli sunt etiam bestiae valde proportionatae et aptae pro transitu deserti. Hae bestiae sunt apud nos monstra, sed in partibus transmarinis sunt communissimae et incedunt gregatim in magno et copioso numero in pasta. Dicitur autem camelus a camyn, quod est breve vel humile, quia, cum onerantur, accumbunt, ut breviores fiant; vel a camur, quod est curvum, quia incurvant se in susceptione onerum, vel quia curvum dorsum habent. Duo autem sunt genera camelorum, scilicet bactrici et arabici cameli. Arabici cameli bina habent tubera in dorso, et sunt parviores tardiorisque gressus (20 a). Cameli autem de Bactria unum habent in dorso tuber, in quo portant, alium in pectore, cui incumbunt, et sunt veloces multum et parviores camelis arabicis. Credo autem, quod cameli bactrici etiam nominentur dromedi, propter velocitatem cursus, quia dromedus idem est quod cursus vel curvus, et est genus camelorum, quod uno die centum milliaria italica et amplius facit. Dromedarius autem sic habetur Esaiae LX.: Est custos dromedorum. De camelo bactrico enormis magnitudinis legitur in vita S. Hilarionis C. 19. miraculum. Vincentius in Spec. Nat. L. 19. c. 27. dicit, quod cameli recti illi dicuntur, qui unum tantum in dorso habent gibbum, aliud autem genus, quos dromades vocant, cursu mirabili vigentes, bina tubera in dorso habentes. Ex

Ende

Anfang